

† R. P. Aloysius Cagiano de Azevedo (1842-1929).

(Prov. *Hisp.*)

† R. P. Aloysius Cagiano de Azevedo (1842-1929).

(Prov. *Hisp.*)

Die 2 Nov. 1929, quo die omnium fidelium defunctorum memoria commemoratur, Matriti in coemeterio *de la Almudena* iusta funebria tributa sunt uni ex notissimis conscientiarum moderatoribus, qui unquam Matriti floruerint, R. P. Aloysio Cagiano de Azevedo.



Tertius fuit ex 14 filiis comitis nobilis Cagiano de Azevedo, et patriam sortitus est Frusinonem, in quo Italiae municipio iam a. 1776, vivo S. Alphonso, Congregatio nostra sedem figere potuit. Studia humaniora Neapoli, magistris Patribus Iesuitis, absolvit, sed postquam ordines minores a patruo Antonio, S. R. E. Cardinali et Episcopo suburbicario Tusculano, recepit, eiusdem

Em̄i Viri consilium secutus, Alphonsianae familiae se aggregare statuit. Octavius autem, frater minor, in saeculari clero manere maluit. Qui anno 1905 a Pio X in supremum Ecclesiae senatum adscitus, mortem occubuit a. 1927, S. R. E. Cancellarius.

Em̄us P. Mauron, qui iuvenem nobilem benigne recepit, attentis rerum italicarum angustiis, melius iudicavit Aloysium in novitiatum Provinciae Gallico-Helveticae mittere. Itaque tirocinium S. Nicolai a Portu perfecit, duce R. P. Francisco Lorthioit, et sacra vota nuncupavit d. 15 Maii 1864 atque biennio post ab Em̄o Card. Lavigerie sacerdotio initiatus est.

Catalogus Congregationis, qui a. 1867 ineunte prodiit, Patrem Cagiano S. Nicolai inter Patres studentes recenset. Postea ei theologiae dogmaticae cathedram commiserunt, at per brevissimum tempus; nam *non omnia possumus omnes*, et Patri Azevedo potius intellectus practicus obtigerat.

Missus est igitur in Hispaniam, in novam domum Alhamensem; verumtamen ibi mox, a. 1968, illa rerum publicarum eversio facta est, quae etiam nostris duabus foundationibus *Huete* et *Alhama* exitialis evasit. Superiores tum Patrem Azevedo primum Angliae destinaverunt, sed accidit, ut in Gallia retineretur, per biennium fere a domo in domum migrans, et d. 28 Aug. 1870 Matritum rediit, quam urbem inde ad mortem velut novam patriam suam incoluit.

Ferunt tum temporis Matriti non fuisse religiosos viros sacerdotes praeter duos Redemptoristas Italos, P. Victorem Loyodice et P. Azevedo, qui tamen ut religiosi palam apparere non poterant. Fruebantur capellania monasterii S. Paschalis, immo etiam unius pesetae pensione, atque monialium ecclesia tanquam propria uti poterant pro ministerio exercendo.

Instaurata monarchia Burbonica, de condendis per Hispaniam regulis domibus Superiores nostri cogitarunt, et cum habitatio Matritensis ad S. Paschalis amoena quidem, at pro constituenda communitate nimis exigua esset, fortunate accidit, ut exeunte a. 1879 nobis ibidem perpulchra ecclesia S. Barbarae, olim monialium Visitationis, traderetur. Huius templi rector P. Azevedo fuit, etiam diu parvae communitatis Superior, donec a. 1892 eius opera ecclesia Pontificia S. Michaelis Nostris commissa est.

P. Azevedo post obitum in *El Debate*, inter folia catholica hispanica procul dubio principe, vocatus est «Apostolus Matritensis», quem titulum valde honorificum ut illustret, ephemeris illa haec fere scribit: Natalium nobilitas, comitas sermonis, magna corporis dignitas, peculiaris in dando consilio prudentia, sanctitatis ornata splendore, Patrem Azevedo inter omnes confessarium singularis famae constituerunt. Omnes ordines eum indiscriminatim adibant, nobiles feminae, famulae, magistratus, moniales, praelati, et ad eius confessionale homines valde inter se dissimiles expectantes videres.

Ipsi Legati Summi Pontificis, eum confessarium sibi elegerunt, (1) et quo tempore Nunciaturae a secretis erat Rm̄us *Iacobus della Chiesa*, ipse quoque eum suae conscientiae moderatorem habuit. Qui postea (1914) sub nomine Benedicti XV ad Pontificatus fastigium evectus, primum colloquium pristino suo confessario Matritensi, tum fortuito Romae degenti, dicare voluit. Nec passus est illum genua flectere et oscula sacrae soleae figere, sed benevolentissime eum amplexus est et petivit, ut Pontificius confessarius esse pergeret. Sed auditis gravibus rationibus, quae Patris Azevedo reditum in Hesperiam exigere videbantur, non amplius institit.

Confessarium huiusmodi, qua fruebatur apud optimates gratia, familiae suae religiosae praeclara servitia praestare potuisse patet, velut cum

(1) Chronista Provinciae commemorat Excm̄um D. Rampolla et *novem* eius successores, R. P. Alph. Ariz Elcarte in *El Perpetuo Socorro* (XXXI, 501) scribit *duodecim* ultimos Nuntios Apostolicos fuisse huius celeberrimi confessarii clientes.

1879 Navae Regis nova domus nostra conderetur et Espinense monasterium acquireretur. (1) Anno 1894 obtinuit privilegium regium, quo iuvenistae nostri a lege militari eximuntur.

Sed in nulla re (ita *El Debate*) magis Azevedani ingenii acies enituit quam in sacris sollempniis instituendis. Aedes sacra, cui inserviebat, semper maxima celebrabatur civium frequentia. Miris modis sollertissime excogitabat, quidquid ad pias functiones fovendas et magnificentiam divino cultui addendam inservire posset. Contionari quidem nunquam ausus est, sed tali vi et spiritu legebat, ut fideles forsitan luculentiore ex ipsa lectione fructum obtinerent quam ex disertissima oratione. Eximii oratores ab eo invitati, ut Manterola, Cardona, Calpena, vernaculae eloquentiae lumina, contiones in ecclesia Pontificia affabre dixerunt; ast ubi P. Azevedo, aperto libello, voce inflexa iustoque gestu suas *preces* recitabat, audientes vel magis movebantur.

Non praetermittendas esse arbitror illas de Passione Domini N. miras lectiones Feriae VI in Parasceve. Montis Calvarii simulacrum arte ingeniosissima extruxerat in templo, quod ingens multitudo ante tempus replebat. Repente piissimus missionarius pulpitum ascendere, quattuor vel quinque precum libellos portans; fragmenta iam ex uno iam ex alio excerpere, rapidissime ea sarcire, nulla tamen proprio Marte addita glossa, voce tantum mystico concita motu, lacrimis atque gemitibus ineffabilibus intercepta, ita ut adstantium fletum eliceret.

Cultus religiosi sensum psychologicum ut nemo callebat. Novendiale in honorem Iesu Infantis pueris nobiles committere solebat; generosos ephebos et puellas nobiles quaerebat ad cultus S. Antonio dicatos, viduas desolatas, ut festa Matri dolorosae pararent, patresfamilias S. Iosephi festivitati, et pro animabus in purgatorio detentis pueros parentibus orbatos...

Nobis pro certo affirmatum est mensem Marianum, cum illa magnificentia qua hodie Matritenses ecclesiae utuntur, ab ipso primum celebratum esse. Ipse etiam primam omnium Hispaniae confraternitatum B. M. V. de Perpetuo Succursu a. 1883 Matriti stabiliendam curavit. Sollemnitati astitit etiam Regina Hispaniae, Maria Christina, et contionem habuit clarissimus orator, Ill^{ms} D. Fr. Thomas Cámara ex Ord. S. Augustini. (2)

(1) Cf. *Annales Prov. Hisp.*, fasc. I, p. 62 sq.

(2) *Annales Prov. Hisp.*, fasc. I, p. 93. — Ibidem p. 82 ad a. 1881 iudicium refertur a prioribus sat diversum, quod P. Visitor *Meinwaldus Jost* in notulis suis hispanice exaratis reliquit: « Maiorem cultus splendorem consecutus est P. Azevedo in Visitationis templo quam apud S. Paschalem. Certum est huic ministerio deesse characterem redemptoricum, quum unice constet functionibus longioribus ac sumptuosis, ad quas fit convocatio per tabulas typographicas sat profanas. Praeterea, deficientibus Patribus nostris, concionatores extraneos, religiosos vel saeculares, in auxilium ad

P. Azevedo optima valetudine usus est fere semper; sed a. 1917 glaucoma, accedentibus magnis doloribus, altero oculo eum privavit, et ab a. 1920 omnis luminis expers permansit. Interea assidue, immo indefessus, confessiones excipiebat, quod ministerium usque ad supremos vitae dies ipsi carissimum fuit. Et cum ultimo vitae anno ipse ad Nuntiaturam ire non iam valeret, Excēnus D. Tedeschini, Nuntius Apostolicus, singulis septimanis ad cellam veneratissimi confessarii venire dignatus est.

Mense Ianuario 1928, gravissimo mortis periculo instante, P. Azevedo sacramentis ultimis refectus est; attamen nondum venerat finis. Viribus iam paene destitutus, et patientissime tantis infortuniis exantlatis, spiritum Deo reddidit festo Sanctorum omnium a. 1929, aetatis suae anno 88.

Congregatio SS. Redemptoris, cuius ornamentum praeclarum fuit, eius memoriam benedictam habebit in aeternum.

Huic necrologio coronidis instar sint sequentes litterae, quas ipse Summus Pontifex Pius PP. XI in morte desideratissimi P. Azevedo ad Nuntium Apostolicum Matritensem scribi iussit.

SEGRETERIA DI STATO
DI SUA SANTITÀ

N. 85053

Dal Vaticano, 23 Novembre 1929.

Eccellenza Reverendissima,

Il Santo Padre ha appreso con vivo rammarico la morte del venerando Padre Luigi Cagiano de Azevedo, al cui illuminato zelo tanto è obbligata — non meno delle molte classi sociali di Madrid — codesta Nunziatura Apostolica.

Al commosso tributo che V. E. Revma ha voluto rendere a così santa memoria. l'Augusto Pontefice aggiunge di cuore le sue paterne con-

vocare necessarium fuit; et, quo magis fideles ad ecclesiam suam attraheret, quotidie per totum tempus antemeridianum missas celebrari curat a sacerdotibus extraneis, quod recollectam Communitatis vitam plus minusve perturbat, ecclesiaeque parochialis potius quam regularis speciem tribuit. » — Annalium auctor, R. P. Gamarra, addit etiam alios eodem modo de hac re sensisse, ipse vero, ad benigne interpretandum Patris Azevedo agendi modum, ita pergit: « 1° Etiam S. nostri Clementis Hofbauer cultus exercendi modus vituperatores reperit non paucos; ipse tamen agendi rationem ad S. Bennonis defendit, nec ab inceptis abstinuit. Praeterea, 2° Congregatio nostra, opera praesertim Rectoris templi Visitationis, Matrity cultum adeo splendidum efflorescere fecit, ut nullius civitatis diversarum nationum principis cultu superetur, immo plerasque, ne dicam omnes, facile superet; quod quidem Congregationis laudi cedere, non est qui neget ».

glianze per la famiglia religiosa di cui egli fu splendida gemma; e mentre affretta coi suffragi per la degna anima sacerdotale la visione di quel Dio a cui essa ha servito per tanti anni con fedeltà pari alla modestia, invia di cuore a codesti suoi confratelli la confortatrice Apostolica Benedizione. (1)

Con sensi di sincera e distinta stima mi rafferma
di Vostra Eccellenza Revma

A Sua Eccellenza Reverendissima
Monsignor Federico Tedeschini
Nunzio Apostolico
Madrid.

Servitore
P. Card. GASPARRI.
